

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Wersja krakowska**

Rękopis Biblioteki Narodowej, sygn. 12607 III, k. 56rb–57vb

Odczyt: Maciej Mikula

Artykuł 114 cz. II, 115, 116 [Gn. 111]

[114 cz. II] [...] usque ad Greciam a tempore Darii Secundi, aut ultimi, quem rex Allexander Maximis et sediciosus devicit bellis. Tunc transmutatum fuit Imperium a Babilonia et stetit in Constantinopolym usque ad illud tempus, quo se Roma de Imperio intromisit, et potenter tenuit usque ad presens tempus ex parte beati Petri, qui caput est Christianitatis. Cum Imperium Roma[m] versum fuisset, ibi stetit, ut patet in premissis, tunc Cristiani absque iure fuerunt, idcirco quivis pro sua in terris faciebant voluntate, aut quid facere poterat et perficere, et hoc absque querela permansit et per iudicium inultum, quia nullum fuit, ubi quis iusticiam consequi posset, et usque tempus perseveraverit. Et ipsi ibi venerunt et iusticiam consecuti fuerunt, eciam ibi exhibuerunt manus, und[e] manu potestate obtinuimus usque in presens. Tunc Roma convenit et decreverunt deliberando, quomodo sibi regna subiugare possent. Ac omnes unanimi consensu et pari consilio concordaverunt, quod edificarent castra in terris, und[e] sibi terras possent subiugare. Et cum hoc fecissent, tunc arbitrati sunt sibi, quomodo castra confortarent, ut ipsis esset in iuvamen^c. Et illos acce[k. 56va]perunt, qui nomen militare habuerunt, et eos super castra locaverunt cum tali iure, ut usque castrense ius tenet in castrensi feodo. Extunc deliberaverunt, qualia iuris statuta terris constitu[e]re vellent. In terris tale ius constituerunt, quale adhuc terra Saxonie protestatur, per Constantinum imperatorem et per Cawlum cesarem.

^c możliwa lekcja iuvamine

[115] [k. 57ra] [^a] Nunc audire et intelligere potestis, quod de principibus ac baronibus, et hiis omnibus, qui digne nomen sorciuntur, quomodo ipsi cum Romanis sunt arbitrati, quod scire vellent, quo iure Imperium debet permanere. Et statuerunt regi ius cum consilio, quod ipse sedem Rome regna regere deberet ex parte beati Petri cum gladio seculari, und[e] adhuc Romanus advocatus appellatur. Idcirco vitam suam non potest demereri, nec in suo |iure ^b| honore debilitari, nisi tribus causis, que in sequentibus patebunt. Quarum prima est illa, si sedem Romanam destruere vellet. Secunda est, si sedem contra Catholicam facere vellet. Tercia est, si causa legali vellet suam legitimam dimittere uxorem. Quorum trium de una^c, si quod absit, fuerit convictus, extunc debet iudicari, hos omnes, qui noxam et iniustam fecerunt, aut qui caput demerentur. Et insuper omnibus commisit, quod iudicis nomen censeatur [k. 57rb] cum protegere viduas et pupillos, et domos Dei, et omnes iniurias humiliare et iusticiam confortare. Insuper iudicium conmisit omnibus iudicibus temporalibus, cum eo iudicare super omnes, qui in maleficiis fuerint deprehensi in facto manifesto, et ad

iudicium capti, deducti et fuerint convicti, ut ius dictaverit. Ibi omnes iudices soli debent iudicare, vel preco ipsorum loco. Eodem modo ut iudices habent temporalem gladium a rege. Eodem modo sacerdotes habent spiritualem gladium ab Apostolico.

^a foliacja na górnym marginesie XXX; ^b skreślone przez autora podstawy; ^c w rkp. uno

[116] [k. 57va] Nunc attendatis, quis cesarem iudicare debet, si ex hiis tribus premisis in uno fuerit convictus. Hoc facere debet Sacri Imperii Renensis palatinus, [k. 57vb] qui imperatori ac Imperio fuerat ex arbitrio positus. Simili modo, ut palatinus imperatorem debet iudicare, eodem modo iudicat burgravius marchionem pro sua culpa, et burgravium scultetus.

[hasła: Grecja, Dariusz II, Konstantynopol, Aleksander Wielki, cesarstwo, św. Piotr, Cesarstwo Rzymskie, chrześcijaństwo, Chrześcijanin, sąd, Rzym, rzymianin, zamek, zgoda, rada, prawo, Saksonia, Konstantyn Wielki, Karol Wielki, książę, baron, miecz, katolik, wdowa, sprawiedliwość, gorący uczynek, palatyn reński, marchia, burgrabia, sołtys, cesarz, lenno]